



BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0499

Sabato 27.08.2011

LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIATO SPECIALE AL XXV CONGRESSO EUCARISTICO NAZIONALE ITALIANO (ANCONA, 3-11 SETTEMBRE 2011)

LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIATO SPECIALE AL XXV CONGRESSO EUCARISTICO
NAZIONALE ITALIANO (ANCONA, 3-11 SETTEMBRE 2011)

In data 2 luglio 2011 il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato l'Em.mo Card. Giovanni Battista Re, Prefetto emerito della Congregazione per i Vescovi, Suo Inviato Speciale al XXV Congresso Eucaristico Nazionale Italiano, che sarà celebrato ad Ancona dal 3 all'11 settembre 2011.

Il Cardinale Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Mons. Umberto Gasparini, del clero di Senigallia, Parroco di S. Croce e S. Lucia in Ostra (Ancona), Vicario Foraneo e Membro del Collegio dei Consultori, Delegato diocesano per il XXV Congresso Eucaristico Nazionale;
- Rev.do Sac. Franco Magnani, del clero di Mantova, Docente di Liturgia presso lo Studio Teologico del Seminario diocesano e l'Istituto di Liturgia pastorale "Santa Giustina" di Padova, Direttore dell'Ufficio Liturgico Nazionale della CEI.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Papa all'Em.mo Card. Giovanni Battista Re:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
IOANNI BAPTISTAE S.R.E. CARDINALI RE
Praefecto olim Congregationis pro Episcopis

"Ecclesiae fides essentialiter eucharistica est fides, quae Eucharistiae mensa praecipue alitur". Hanc sententiam placuit Nobis in Adhortatione Apostolica Postsynodali *Sacramentum caritatis* (n. 6) scribere, qua praecipua quaedam elementa officiaque explicavimus ad novum in Ecclesia impulsum eucharisticum concitandum. Nunc vero de singularis momenti eucharistico eventu cogitamus, videlicet de XXV Congressu Eucharistico Nationali Italiae, tempore scilicet orationis, meditationis atque eucharisticae renovationis, qui proximo mense Septembri Anconae celebrabitur. Argumentum propositum "*Domine, ad quem ibimus?*" (Io 6,68). Eucharistia pro vita cotidiana" verba recolit a beato Petro ad Iesum pronuntiata atque peculiare pondus Sacramenti caritatis in vita et

opera uniuscuiusque credentis dare demonstrat. Nosmet Ipsi, Qui diligentissimam damus operam ut eucharistica in Dei Populo fides vividior semper fiat, libentes die conclusionis Congressus Anconae aderimus et omnes eius participes ex corde salutabimus.

Huius Congressus opportunitate data Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Bagnasco, Archiepiscopus Metropolita lanuensis atque Conferentiae Episcoporum Italiae Praeses, nomine etiam Venerabilis Fratris Adriani Caprioli, Episcopi Regiensi in Aemilia-Guastallensi atque Praesidis Comitatus pro Congressibus Eucharisticis Nationalibus, humanissime Nos rogavit ut aliquem eminentem ecclesiasticum virum destinarem qui Nostro Nomine huic Congressui praeesse valeat. Itaque ad Te, Venerabilis Frater Noster, animum Nostrum vertimus qui, Praefectus olim Congregationis pro Episcopis, aptus omnino videris ad huiusmodi munus congruenter explendum.

Idcirco harum Litterarum vi Te designamus **MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM**, mandatis Tibi factis, ut diebus III-XI proximi mensis Septembris Anconae sacris celebritatibus Nostro nomine praesideas atque Nostros pastorales sensus fidelibus ibi congregatis humaniter renunties. De Eucharistia loqueris atque omnes adhortaberis ad spiritalem vitam per eam renovandam, fontem scilicet cuiusque formae sanctitatis.

Dum per Te, Venerabilis Frater Noster, sacrorum Antistitem Anconitanum-Auximanum ceterosque Praesules et fideles qui Anconam ad Congressum advenient salutamus, precibus Nostris eos comitamur atque Deum omnipotentem obsecramus ut omnes credentes in Christum, materno praesidio Beatae Mariae Virginis suffulti, praeceptum caritatis in vita cotidiana diligentius servare pergant.

Munus tuum magni sane ponderis aestimantes, peculiaris benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem Tibi peramanter impertimus, universis XXV Congressus Eucharistici Nationalis Italiae participibus transmittendam.

Ex Arce Gandulfi, die XXII mensis Iulii, anno MMXI, Pontificatus Nostri septimo.

BENEDICTUS PP XVI

[01207-07.01] [Testo originale: Latino]
